

Medicina dinamica, summatim praefinita ... / tuebitur J.D. Doerner.

Contributors

Doerner, Johann David.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Schrammianis, [1759]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rm3khspg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

MEDICINA DYNAMICA, SUMMATIM PRÆFINITA.

H A N C

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICEN-
TISSIMO, SERENISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO,

D O M I N O

IO. CAROL. LUDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DUCE BAVARIÆ,

rel. rel.

PRORECTORE MAGNIFICO,

D O M I N O

CHRISTOPHORO FRID.
HARPPRECHT,

I. V. D. & P. P. O.

P R Æ S I D E

GEORGIO FRIDERICO SIGWART,

PHIL. MED. ET CHIR. D. HUIUSQUE ET ANAT.

P. P. O. MED. AUL. WIRTEMB. FAC.

MED. SEN. & p. t. DECANO,

P R O


CONSEQUENDIS SUMMIS IN MEDICINA
HONORIBUS,

A. D. Nov. 1759.

TUEBITUR

IOH. DAVIDES DOERNER,

KEMNATHENSIS.

Tubingae, LITTERIS SCHRAMMIANIS.

25
Vires omni bono Medico cum primis attendendae sunt, & altero oculo semper
intuendae.

Vid. proxime publicata *Fragmenta dynamices HIP-
POCRATICO - GALENICAE*. Num. VI. &
VII.

Ergo *monoculus* est *Medicus*, qui, ut ut altero aliquid videat oculo, si
quidem hoc vno rite aliquid videre potest, altero tamen non videt *medico-
dynamica*. E. *malus* eo ipso est tam *theoreticus*, quam *practicus*, qui ea
non attendit. E. *peior*, qui, ea non videns, non videre gestit. E. *peissi-
mus*, qui ea videt quidem, sed videre dissimulat, dissimulansque adeo con-
temnit friuole.

Vulgare, sed vulgo non satis perspectum, at *primarium* tamen in *physica*
aeque, ac *moralis philosophia*, *principium* est: ACTIO ET REACTIO SUNT
AEQUALES. Eo quippe nituntur *axiomatice* adeo VERITATES: VIRES
AUGENTUR, AUCTIS adeo RESISTENTIS; VIRTUTES CRESCUNT,
CRESCENTIBUS etiam OBSTACULIS: IMMINUUNTUR contra HISCE
IMMINUTIS: AUGENTUR vero vel IMMINUUNTUR utrimque quidem
RATIONE AEQUALI. *Ecquis proinde nostrum vitam vitaeque huius officia
ab obstaculis libera optauerit amplius?*



PRAEFATIO.



*A*phorismos heic conspicias L. B. & *Aphorismos* quidem festinante animo ac stilo in chartam coniectos. Quod *utrumque* TE praenoscere velim. *Illud* quidem, ne explicatiores expectes, quam quae postulat *aphoristicum dicendi genus*. Hoc autem, ne, quae carptim heic collecta legis, magis exasciata poscas. Iam diu est, ex quo *medicum cupiui specimen dynamicum*. Cupiui autem limatum, & tale, quod ad artis regulas esset exactum. Perspiciebam probe rei huiusce difficultatem. Offerebat eadem toties illud:

Hoc opus , hic labor est.

Cogitabam tamen , quanticumque id constiterit,
labor improbus omnia vincit.

Praesentiebam , id negotii tentare nullius esse , nisi hominis , non tantum multo studio , verum multo etiam altoque otio seuerioribus meditationibus famulantis. Praestolabar id , quin immo quaerebam , saepius : at numquam impetrabam. Morae tandem impatiens ,

spatiis disclusus iniquis ,

pertinacior decreui , quoduis , quauis data occasione , in huius rei consignare memoriam. Offerebat illam NOBILISSIMUS DN. CANDIDATUS , licet eo tempore , quo minime mihi vacabat. Superabat itaque cunctationem consilium semel captum , timiditatem audacia. En opellae huius *aphoristicae* , at disputaturis tamen suffe-cturae , en aequioris TUI de ista iudicii rationem , eam-que , uti spero , sufficientem , & quae facile saltem excuset orationis *aphoristicae* siccitatem & breuitatem ! De cetero , quod in nuperrima , qua *medicinae dynami-cae monumenta* HIPPOCRATICO - GALENICA memoriae pro-didi , dissertatiuncula *auctoritatis* propugnaculo prae-fultum iui , id propugnatum nunc ibo ipsius *rei* & *ve-ritatis* , *auctoritatem* longe post se relinquentis , praesi-dio : iterum , nisi omnia me fallunt , nequaquam glo-riolae cuidam captandae , sed defendendis medicinae castris , tuendaeque aegrotorum in illis decumbentium , saluti militaturus , probe tamen memor LIPSIANI illius in *not. ad lib. de cruce* : *Suppilare s. colligere quivis pot-est : disponere & eloqui , id poscit laudem.*

PRÆ-

PRÆCOGNOSCENDA.

§. I.

Cuius, vel in superficie obiterque *res dynamicas* lustranti, tam amplius sese pandit campus, ut illarum multitudo haud ita facile terminari queat.

§. 2. Seiunctim spectatae, quae *medici fori* sunt, *res dynamicae*, etiam nunc tanti sunt ambitus, ut vel perspicacissimum obruere possint spectatorem.

§. 3. Tantum abest (§. 1, 2.), ut *uniuersae*, ut ne *medicae* quidem *dynamices* spatia propius emetiri in animum induxerim. E longinquo, & maioribus interuallis relictis, in praesentia non, nisi summam rei planitiem, intuebor. Transibo eam oculo veluti ludente, sed a vero tamen, verioribusque aliorum cogitatis haudquaquam abludente.

§. 4. Hoc sibi vult *rubri index*, quo argumentosi huius *thematis* a) *summam* tantum modo indixi: b) *summam*, inquam, *medicinae*, c) nominatim *dynamicae*, d) *summam* tamen *praefinitam*, hoc est, legitimis suis limitibus circumscriptam.

§. 5. Ecce, in numero quae sint *thematis momenta* (§. 4.), fat distincta, adeoque propius non determinanda, utpote vel nemini non obuia, suaeque sponte clara, vel ex mox dicendis plenius intelligenda.

§. 6. En vna (§. 5.) *planam*, qua in illis (§. 4.) perlustrandis incedendum erit, *viam*, quamque eadem illa praemonstrant in proclui, citraque pulueris iactum. Ad vnam *summam* referenda sunt, quae totam efficiunt *medicinam dynamicam* (§. 4.). *Summae* rerum, ut ut, vnde conficiuntur,

tur, includant omnia, excludunt tamen euolutum, vnde deductae sunt, calculum. *Medicinae* itaque *dynamicae summa* excludit omnino exponentem sui *analysin*. Neque tamen excludit iccirco aliquid de totius sui complexu. Nec, quam breuitatis causa seruabo, *minus euoluta methodus* aliquid de illius subtrahet *summa*, cui ne quid supernumerarii aut alieni addatur, cauebo pariter. *Characteres & ordines* summata *cogitatorum* addet distinguetque facile quilibet *distinctae cognitionis* aequus arbiter. Qualemcumque equidem saltem non intendendo, sed *praefinitam* (§. 4. d.), s. finibus suis legitimis terminatam *latrodynamicen*. Ceterum eam mihi heic concessam esse existimo *licentiam*, quae, animum hac vice laxando, alia forsan ad propius tandem spectanda *medico-dynamica* bene memorem reuocet atque excitet.

§. 7. Haud igitur est, quod aliquem hodie a me meas *rigorem*, quem semper aegre ferre adsoles iucundissime, seuerioris cognitionis *analyticae* osor. Licentius elocuturus sum, quae mecum concepta habeo, *latrodynamices* rudimenta. Nolim autem, ideo me in tuas partes transiisse existimes, quando *methodum* crepas *arbitrariam*, quam iuxta omnia tibi promiscua esse, ex ipso tuo tuique similium exemplis colligo. Ex hisce enim vaga huiusce modi, nec dum debite determinata, atque nihilo secius saepe tam gloriosa quorundam dictamina quam optime intelligimus, intellectaque pariter interpretamur quam iustissime.

§. 8. *Distinctiores* exactiusque *ordinatas* cogitatorum nostrorum evolutiones praestantiores esse vtilioresque, quam *cryptibus* vbique velatas, & virtute se sua quasi inuoluentes meditationes, *Mathematicorum*, aliorumque, in aliis eos imitantium, exemplis dudum constitit abunde. Ecce igitur horum vestigia non legimus vbique? Cur eadem haec ad praesens ipsemet non lego? Nonne, capto hoc (§. 7.) contrario consilio, maiori bono praefertur minus, vtiliori minus vtile? Praefertur, fateor, sed ex necessitate quadam praef-

praefertur. Hanc imponit *eorum* genius, qui, quae vel non capiunt, vel praestare nequeunt, mox repudiant. At at, regefferit quispiam, sic iuxta habentur, qui exspectant meliora. Non exspectant, confido, ab aliis, quae iam possident ipsi, aut, quod forsan desiderare possent in aliis, facili supplere possunt negotio (§. 6.), adquiescentes in illo: *Sapienti sat*. In eorum ergo gratiam, qui meliora non faciunt, nec capiunt, melioribus minus bona bene non numquam praeferuntur.

§. 9. En aliqualem saltem praesentis instituti *usum formalem* (§. 8.)!

§. 10. Quod itaque (§. 8, 9.) tentamini huic ita detrahi videri posset, illud locupletissime compensabit ipsius rei *usus materialis*.

§. 11. Hic vero (§. 10.) ex ipsius *medicinae dynamicae usu* elucet, adeoque ex infra dicendis demum intelligendus erit.

§. 12. *Praefinienda* heic *medicina dynamica* (§. 4.) pro fine, quem intendo (§. 3.), inuoluit *partim* quaedam, quibus fundatur, *principia propiora*, *partim* quaedam ad illam ipsam spectantia fundamenta, *partim* denique proxima *principiata*, inde deducenda, adeoque in ea *prius cognoscenda*, quam in ipsius *specialiorem tractationem* descendere liceat.

§. 13. Praesens igitur (§. 12.) ita (§. 3.) *praefiniendae* (§. 4.) *medicinae dynamicae* tentamen duplex est: a) *unum*, quo propiora ipsius principia, b) *alterum*, quo ipsius *praecognoscenda* domestica praefinire teneor.

§. 14. *Ordinis* dicendorum *ratio* sponte innotescit, secundum quam proinde praecedit

P. I.

PRAEFINITA MEDICINAE DYNAMICAE
PRINCIPIA.

§. 15. *Medicina dinamica* a *medicina* & *dynamicè* nomen habet: *dynamicè* a voce graeca ΔΥΝΑΜΙΣ.

§. 16. Horum itaque terminorum (§. 15.) notiones, tamquam totidem sui partes, & vi generis proximi, inuoluit genuina *medicinae dynamicæ* idea.

§. 17. Huic illae (§. 16.) proinde praemittendae sunt, quum *artis cogitandi praecepta* prohibeant eas, in quas *totales* resoluuntur, negligi *notiones partiales*.

§. 18. ΔΥΝΑΜΙΣ (§. 15.) latine dicitur *vis*.

§. 19. Vterque terminus (§. 18.) minus stabili vsurpatur *significatione*. Mittamus *vagam*, quaeramus *fixam* & *propriam*, verbo, *technicam*. *Technico* enim dicendi genere uti nos decet: dedecet contra omnino captiosum illud & proterue circumuagum, quod suum in ipsam Ecclesiam & rem publicam diffundit contagium. Summa *vitae* nostrae *academicae lex* ea est, quae DISTINCTE & ORDINATE res nostras nos agere iubet. In hoc ergo solus consistit numquam fallax verusque verae ERUDITIONIS *character*. Hinc ergo, procul hinc, qui haecce mordent frena, atque, diuinæ humanaeque disciplinae impatientes, vel optima conculcant veritatis monita!

§. 20. Quisquis, aliquid exsistere, negare non audet, idem, *vim* dari, negare nequit. Ipsius *actualitatis* & *existentiae* conceptus ad *vis* alicuius *ideam* proxime nos ducit.

§. 21. *Actualitatis* & *existentiae* notiones non tantum *supponunt*, sed *inuoluunt* adeo *realitatis* notionem.

§. 22.

§. 22. Ut proinde haec ab illis numquam (§. 21.),

§. 23. adeoque (§. 22.) nec heic plane separari queat.

24. Quidquid est, id *vel obiective* per solam intellectus operationem est, vel alio est, aut esse potest modo, sine intellectus operatione, nisi *subiective* sit in intellectu.

§. 25. Citra intellectus operationem v. c. *homo* non est, est vero citra illam, vel saltem esse potest, *Titius*, *Sempronius*, cet. Eadem ratione *meridianus* non est, est vero sol, cuius positum ficta illius metimur mensura.

§. 27. Id, quod est, *ens* vocatur.

§. 28. *Sensu* nimirum *latissimo*,

§. 29. cuius *strictiori* praeferendo.

§. 30. Inde *confectarium*: Omne ens *vel* non, nisi per intellectus operationem, *vel* sine hac etiam est, aut esse potest. *Dem.* §. 24. 27.

§. 31. *Adaequato* hoc (§. 30.) *fundamento* fundatur *adaequata* *bimembris* *diuisio* *entis*, iuxta quam illud est *a)* *vel ens reale*, *b)* *vel ens rationis*.

§. 32. Vtriusque vero *definiti conceptus* ex dictis (§. 24, 30.) facile supplentur.

§. 33. Modo non confundatur id, quod *obiectively* in intellectu est, cum eo, quod eidem inest *subiectively*.

§. 34. *Ens rationis subiectively in intellectu esse nequit.* Intelligens enim substantia realis est substantia. Non reale autem ens, ens rationis, *subiectively* reali inesse nequit.

§. 35. *Nec reale ens subiectively est in intellectu.* Quod enim *subiectively* est in intellectu, illud est *modus* intellectus. Modus autem, qua talis, non est ens.

§. 36. Arbor v. c. quam mihi repræsentō, est ens reale (§. 32.). *Obiectiuam* habet realitatem. Ipsa hæc ipsius repræsentatio *subiectiue* pariter est realis, sed non ens reale, verum modus realis in ente reali.

§. 37. Nisi tunc quidem *modum*, tamquam *ens* concipere velim. Ita vero hæc arboris repræsentatio esset ens rationis, adeoque iterum *subiectiue* non esset in intellectu (§. 34.). *Modus*, si tamquam ens concipitur, est *ens rationis*, quoniam in illo ita concipiendo *subiectiua* concurrit *abstractio logica*.

§. 38. En aliquem vsum *distinctionis modi realis* ab ente reali (§. 36.)!

§. 39. Sunt autem plures, iique notabiles, tum in aliis veritatibus stabiliendis, tum in grauissimis quibusdam erroribus, inanibus certe logomachiis, remouendis.

§. 40. a. Vnum hunc addo: *Realitatum multitudo* non infert extensionem, non tollit simplicitatem entium *realium* & REALISSIMI.

§. 40. b. Praeterea, vt ab *ente reali res*, ita a *realitate veritas*, sensu etiam iuridico, discerni debet.

§. 41. *Realistae*, interque hos praecipue DURANDUS a SANCTO PORTIANO, qui, notante MORHOFIO *Polyhist. T. II. L. I. C. XIII. §. VI.* cum DURANTIO, ICTO, confundendus non est, audacter quidem reiiciunt *rationis entia*: sed error illorum ex antecedentibus liquido patet. Conf. TIMPLERUS *System. method. L. I. C. III. Qu. VI.*

§. 42. *Realitatis* hætenus explicatae (§. 32-41.) *notio* quodam modo iam praemonstrat *actualitatis* & *existentiae* notionem.

§. 43. Quin eandem iam innuit ipsa *denominatio*.

§. 44. *Exsistentia* est *abstractum exsistentis*. *Exsistere* idem dicit, quod *extra sistere*, vt *exsistens* sit, quasi *extra sistens*, cuius species est *exstans*, quasi *exstantius* aliquid *extra sistens*.

§. 45.

§. 45. Hinc *exstare* & *exsistere* distincte ponit CICERO de *Divinat. L. 11.* & expressius distinguit *esse* & *exsistere* Pulcro. *L. 3. 11. 5.* Nobilioris enim notae *philosophicos Oratores* *pleonasmis* frustra uti, veri non est simile. Id quod, praeter alia, hic ipse *Orator* innuisse videtur, quando *L. de orat. 4. plures*, inquit, *in omnibus artibus, quam in (erudite) dicendo, mirabiles exstiterunt.*

§. 46. Inde (43-45.) patet pulchra horum *terminorum aptitudo*, quum *rbetorica*, tum *philosophica*, utpote quae iam iam ipsorum innuit significandi *potestatem*.

§. 47. *Exsistentia* itaque (§. 43-45.) eam denotat entis conditionem, qua aliquid *sistit*, & *extra* quidem *sistit*.

§. 48. Qua, inquam, aliquid *sistit*, quo se *manifestet* vel *sibi*, a quo ipsi *subiectiva*, vel *aliis*, unde ipsi *obiectiva* tribuitur *exsistentia*: ex qua eadem ratione *character exsistentiae* in *sui manifestabilitate* hodie ponitur.

§. 49. Haec *sui manifestabilitas* (§. 48.) vel ex ipsis terminis (§. 44, 45, 47.) manifesta est, adeoque res, quam pulchre exprimit, vel leuiter attendentibus non potest non esse manifestissima.

§. 50. Haud itaque est, cur veniam amplius petant *manifestatiui* & *manifestabilitatis termini*, utpote *philosophice* (§. 48.) sat apta *signata*, *signatis* suis adposite respondentia, praetereaue auctoritate sat graui recepta. Vid. *acutissimi nostri Philosophi, Cel. PLOUCQUETI, fundam. philos. specul. §. 495-498.*

§. 51. *Philosophicum* autem *dicendi genus* legitime sane praefertur *rbetorico*, ubi scilicet utrumque coniungere non licet.

§. 52. Quandocumque *ens reale* in sua cogitamus *possibilitate interna*, illud vel *nude* tantum, vel cum aliqua *sui accessione* cogitare possumus. Sin autem illi addimus, quod praeter

ter *nudam possibilitatem* ipsi competit, illud ipsum cogitamus, quod ipsius *existentiam* adpellamus.

§. 53. *Ens* itaque *existens* vel *actuale* cogitantes, cogitare cogimur *ens*, cui, praeter *nudam possibilitatem*, aliquid accedit, aut accedere potest.

§. 54. Hinc *actualitas* dici posset τὸ *esse entis*, quod ipsi, praeter *nudam* suam *possibilitatem*, competere potest.

§. 55. Et *existentia* τὸ *esse*, quod ipsi praeter illam competit,

§. 56. seu complementum entis possibilis,

§. 57. neutiquam vero complementum possibilitatis.

§. 58. Haec enim in quolibet illius statu manet *eadem*, cui neque addi, neque demi potest quidquam.

§. 59. Ut igitur illi, praeter *possibilitatem*, aut nihil, aut aliquid accedat, vel accedere possit, necessarium est.

§. 60. Ceterum hoc (§. 54. - 56.) dixisse, me parum dixisse, perpulchre intelligo.

§. 61. Ecquid enim illud est, quod enti *possibili* accedit, & quid, quod illi addimus, quin addere cogimur, quando *actuale* & *existens* cogitamus (§. 52.)? ad me reuersus, ultra quæro, requirent idem de me heic procul dubio & alii.

§. 62. Dictu hoc difficilius esse sentio.

§. 63. Dicam tamen, quid sentiam.

§. 64. Ante vero, quam id (§. 61.) determinatius enuntiari possit, mora aliqua danda est animo, ad rem reuocato reflexoque (§. 62.).

§. 65. Mora, huic *reflexioni* (§. 61.) imperata, facta deprehendo (& quis mecum idem non deprehendit?) illud, quod, *actualitatem* & *existentiam* cogitando, *nude possibili en-*

ti reali, s. ei, quod vel *subiective* in ipso intelligente, vel si-
ne vlla intellectus operatione etiam esse potest, addimus, vel
potius addere cogimur, aliquid esse, per quod ens est *extra*
alia. Deprehendimus, aliquid *exesse*, aliquid *esse extra alia*.

§. 66. Hoc *esse extra alia* non est τὸ esse entis realis, quod
eius *essentiam* constituit. Est enim id, quod praeter nudam
possibilitatem ipsi accedit (§. 65.), adeoque neutiquam *es-*
sentia, quae in illius possibilitate interna fundatur.

§. 67. Id igitur, quod hoc *esse extra alia* (§. 65.) consti-
tuit, est *modus entis*. Neque enim est entis realis *essentia* (§.
66.). Iam vero praeter τὸ esse, & τὸ sic esse, seu modum
entis, quae concrete omni insunt enti, nihil est aliud, quod
ipsi competat. Ergo illud *esse extra alia*, quod in ente reali
concipimus (§. 65.), est *modus entis realis*.

§. 68. *Extreitas*, ut ut minus latine, apte tamen nuncu-
pari posse videtur hic *modus*.

§. 69. Equidem certe alium *terminum* non video, qui,
quem me intueri sentio (§. 65.), *actualis & existens chara-*
cterem exprimat melius.

§. 70. Nec *extreitatis* terminus plane inauditus est, sed
iam ab aliis, alio licet sensu, receptus,

§. 71. adeoque (§. 69, 70.) legitimus.

§. 72. Cuius proinde pariter genuina *notio definitiva* nunc
sponte se nobis offert.

§. 73. *Extreitas* quippe est *modus entis realis*, quem iux-
ta illud est *extra alia*.

§. 74. Haec *extreitatis* idea ob simplicitatem suam expli-
citius quidem exponi nequit:

§. 75. Verum id veritati, reliquaeque ipsius integritati
derogat nihil.

§. 76. Veritatem ipsius ipse nobis suppeditat sensus.

§. 77. Quas a sensu accipimus notiones, eae certe veritatem habent luculentam.

§. 78. Quare & inde *extreitas notio* veritatem suam nanciscitur evidentissimam (§. 76, 77.).

§. 79. Inde pariter τὸ *ubi* entis realis intelligimus.

§. 80. Quod est *extra alia*, id etiam est, vel certe esse potest *alicubi*. Fieri enim nequit, ut id, cui *extreitas* competit, *nusquam* sit, aut esse possit.

§. 81. Ut itaque omne *ens reale* sit, aut saltem esse possit *in aliquo ubi*, necesse est.

§. 82. Ens igitur, quod *nusquam* est, aut esse potest, non est *ens reale*.

§. 83. Quemadmodum *extreitas notionem* (§. 73.) ab *entis realis notione* (§. 32.): ita neque hanc, neque illam, ab *existentiae* conceptu separare possumus (§. 21-23, 65.).

§. 84. Tamen si tam a *realitate*, quam ab *extreitate*, differat *existentia*.

§. 85. *Reale* enim *ens*, & id, quod *extra alia* concipimus, *vel* est, *vel* esse potest *extra alia*.

§. 86. Inde τὸ *esse extra alia* est *a*) vel *actualitas b*), vel *existentia*. Ab illa *actuale*, ab hac *exsistens* dicitur.

§. 87. *Ens actuale* alias quoque vocatur *ens potentiale*, *ens potentia*, quoniam adhuc est in potentia, a qua dependet ipse *existentia*. *Actuale* vero nuncupatur respectu *actus*, per quem transire potest ad *existentiam*. A quo *actu ens exsistens* etiam dicitur *ens actu*, quoniam per hunc suam habet *existentiam*.

§. 88. *Actualitas* igitur, a qua dicitur *actuale*, est modus entis realis, per quem exesse, s. *extra alia* esse potest.

§. 89. *Actuale* itaque est *ens reale*, cui competit *actualitas*, s. quod esse potest *extra alia*.

§. 90.

§. 90. *Exsistentia* vero est modus, per quem ens reale est extra alia.

§. 91. *Exsistens* igitur est ens reale, quod habet *exsistentiam*, s. quod est extra alia.

§. 92. *Actualitas* proinde & *exsistentia* (§. 88, 90.) neutiquam sunt synonyma. *Actualitas* enim tantum dicit possibilitatem *exsistentiae*, *externam* nempe.

§. 93. In τὸ *esse extra alia* certe fundatur *exsistentis manifestabilitas subiectiva & obiectiva* (§. 48.).

§. 94. Alii aliter exprimunt *exsistentiae* conceptum. Veteres *exsistentiam* dicebant *actum*, sc. *obiectiue sumtum*.

§. 95. SCHOLASTICORUM aliis *exsistentia* vocatur τὸ *esse extra causas*, s. id, per quod aliquid est *extra causas suas*. Vid. STAHLIUS *Instit. metaph. C. VIII.* & SCHEIBLERUS *oper. metaph. P. I. C. XV.*

§. 96. WOLFIUS, strenuus *methodi scientificae* in omnibus eruditionis partibus adoptandae defensor, *Ontol.* 172. *exsistentiam* exponit per complementum possibilitatis (§. 57.).

§. 97. Coincidit, quod *Clar. C. G. MYLLERUS* habet in *syst. metaph.* quod *solidioris doctrinae elementa* complecti dicit, §. 57. pag. 32.

§. 98. BILFINGERUS, immortale illud patriae nostrae in orbe tum litterario, tum politico, ornamentum, *per actionem*, inquit, *innotescit exsistentia*. Neque dubito ab *actione exsistentiam* definire. Vid. ipsius *Diluc. philos. de DEO, anima humana & mundo.* §. CCXX. p. 260. ed. tert.

§. 99. A quo conceptu prope abest is, quo hodie dicitur *sui manifestabilitas* (§. 50, 93.).

§. 100. CHRIST. AUG. CRUSIUS, Theologus & Philosophus saeculi nostri celeberrimus, in *Metaphysica*, quam inscribit: *Entwurf der nothwendigen Vernunft - Arbeiten, in wie fern sie den zufaelligen entgegen gesetzt werden.* Cap. III. §. 46.

§. 46. acute ita differit: *Wenn wir uns etwas als existirend vorstellen, so noethiget uns das Wesen unsers Verstandes, außer demjenigen, wodurch wir es denken, und von andern unterscheiden, auch noch dieses binzu zu denken, daß es IRGENDWO, und IRGEND EINMAL seye, und also außer dem metaphysischen Wesen des Dinges auch noch ein ihm zukommendes ubi und quomodo hinzudenken. Daher ist die Existenz dasjenige Praedicat eines Dinges, vermoege dessen es auch außerhalb der Gedanken IRGENDWO und ZU IRGEND EINER ZEIT anzutreffen ist. Vbi suum quoque de illa WOLFIANA existentiae definitione (§. 96.) fert iudicium.*

§. 101. Non nulli *existentiam* vocarunt complexum affectionum entis, praeter essentiam in illo possibilem.

§. 102. Longius a veritate recedunt, quibus *essentia* & *existentia* synonyma sunt, quando hanc *quidditatem* vocant.

§. 103. Quae ad haec omnia (§. 94. - 102.) ultra dici possent aut moneri, heic praeterire iubeor.

§. 104. Ita pariter alibi docetur, quid *inexistentiae* & *substantiae* nominibus veniat.

§. 105. Huc itaque producto de *realibus*, *actualibus* & *existentibus* meditationum filo, non dum quidem ariadneo, proxime ducor ad horum *actum*, *subiective* dictum, ad *actionem*, & ab hac ad *actuans*, ad *actionis principium*.

§. 106. Id quod adeo evidens est, ut non nullis ideo in mentem venerit, *existentiam* per *actionem* (§. 98.), per *actum*, *objective* scilicet intellectum (§. 94.), definire.

§. 107. *Actuale* & *existens* cogitari nequit sine *actione*, aut sine *actu*, neque *actio* aut *actus* sine *agentis* aut *actuantis*, quo *agit* aut *actuatur*, *principio*.

§. 108. Et hoc illud ipsum est principium, quod *vis* nominatur.

§. 109. Quo enim hodie *vsitatiori*, &

§. 110.

§. 110. *minus aequiuoco* vti possimus *termino*, equidem non video alium.

§. 111. SCHOLASTICORUM *termino actus* LEIBNITIUS, NEWTONUS, aliique recentiores Physico-Mathematici substituerunt terminum *vis*, in *Mechanice* dudum receptiorem.

§. 112. Idque recte quidem fecerunt. Etenim 1) terminus *actus* nimis *vagam* obtinuit significationem, nec 2) conuenit, sine vlla vrgente ratione, per metonymiam *ens actuum*, & *entis principium actuum* dicere *actum*, qui 3) rectius exprimit modum, per quem ab illo aliquid efficitur. 4) Denique *synonymis* felicius etiam caremus in *verae eruditionis* emporio, vbi omnes nobis euitandae sunt ambiguitates, quaerendum contra vbiq; *fixum & technicum dicendi genus*.

§. 113. Ex iisdem rationibus heic promiscue vti non licet aliis vocibus, quibus nimis *vage* sæpius vtuntur, quaeque v. c. sunt: *virtus*, *potentia*, *facultas*, *natura*, *indoles*. Omnibus enim hisce *terminis* sua *propria* est *significatio*.

§. 114. *Actuale*, quod, quando per actum suam obtinet praesentiam, *exsistens* adpellatur (§.87.), nomen habet a τῶν *actuare*.

§. 115. *Actuare* proinde idem dicit, ac efficere, vt aliquid exsistat, saltem exsistere possit.

§. 116. Hinc *actus* est modus, per quem aliquid suam obtinet, saltem obtinere potest, existentiam.

§. 117. Haud enim omnis actus dat existentiam:

§. 118. Sed istantum, cui nihil obstat.

§. 119. Hinc adposite iam pridem obseruata est *distinctio* inter *actum primum & secundum*.

§. 120. Quorum prior proprie dicendus est *conatus*.

§. 121. Ab *actu* tamen quodam adhuc modo differt *actio*.

§. 122. Et ab hac *operatio*,

C

§. 123.

§. 123. itemque *causatio*.

§. 124. Differunt etiam *actio & passio*.

§. 125. Licet in eo conueniant, quod vtraque sit *effectus*.

§. 126. Differentiae inter *actionem* l. *actum purum & impurum*, inter *absolute purum & secundum quid purum*, itemque inter *imminentem & transeuntem*, non sunt huius loci.

§. 127. Sine *actuante* nullus concipitur *actus*, nulla sine *agente actio*.

§. 128. *Actus*, inquam, vt plenius hanc *reflexionem* exprimam, sine sui *principio*, vnde oritur, concipi nequit.

§. 129. Inde *vis* alicuius idea subnascitur.

§. 130. *Vis* nempe est quoduis actionum principium.

§. 131. Adeoque id, quod realem continet rationem. Principium enim est id, quod alterius continet rationem, & quod actionum rationem continet, realem continet rationem.

§. 132. *Actio*, cuius rationem *vis* continet, est vel *præsens*, vel *non præsens*, adeoque posteriori casu vel *præterita*, vel *futura*.

§. 133. Inde intelligitur, quid *actuantis* nomine veniat.

§. 134. *Actuans* nempe est *vis*, in *actu exercito*, s. in *actus* sui *exercitio*, constituta.

§. 135. *Actuans* itaque & *vis* non dicuntur synonymice.

§. 136. Adeoque *vis* per id, quod actuat, *adaequatè* *definiri* nequit.

§. 137. Multo minus per id, quod alteri dat existentiam. Aliunde enim impedita in solo *conatu* subsistit. Quam ergo tum dare conatur, non dum dat existentiam.

§. 138. *Vis* tamen numquam non continet rationem *existentiæ* alterius. Continet enim actionis rationem (§. 130.): *actio* autem s. *actus* est ratio *existentiæ* alterius (§. 116.).

§. 139.

§. 139. Sunt, quae existunt.

§. 140. *Existunt* itaque *vires*. *Vires* enim continent rationem existentium (§. 138.). Sed sunt, quae existunt (§. 139.). Ergo existunt quoque *vires*.

§. 141. *Non reale* nequit esse principium *realis*.

§. 142. *Vires* ergo ex *realium classe* sunt. Sunt enim existentium principium (§. 138.). Quae existunt, quae existant, *realia* sunt (§. .). Sunt itaque *realium principium*. Nam non reale *realis* principium esse non potest (§. 141.).

§. 143. Existunt cogitationes, s. repraesentationes mentales.

§. 144. Ergo existit *vis repraesentatrix* (§. 140, 143.).

§. 145. Hoc sibi vult illud CARTESIANUM: *Cogito. Ergo sum*. Rectius: *Ergo existo*. Verum *repraesentationum mentalium existentia* non tantum firmum praebet argumentum pro existentia *vis* alicuius *repraesentatricis*, sed & hancipsam *realibus* adnumerandam esse comprobat (§. 142.).

§. 146. Siccine, opposuerit quis, *repraesentationes* sunt *entia realia*, quum *existere* dicantur (§. 143.), nec, nisi *realibus* competat *existentia*. Facilis est aduersus hanc objectionem responsio. *Repraesentationes mentales obiective* quidem non existunt, bene tamen *subiective*. Cogitatio, quam nunc habeo, in me omnino existit. Ea est modus, qui suum certe postulat subiectum, cui inest. Hoc subiectum non potest non esse reale & existens. Illa itaque in me existit, tamquam modus realis in ente reali. Hinc nonnulli, *cogitationem* ita considerantes, eam adeo dicunt *ens reale*. Quod proinde non, nisi per *metonymiam*, fit. Quatenus autem illa tamquam *ens* consideratur, eatenus est *ens rationis*. Tum enim non, nisi *obiective*, existit, per *abstractionem* nempe *logicam*, quae est *simplex adprehensio*, adeoque intellectus operatio. Hoc itaque *esse cogitationis obiectuum* tantum est per intellectus operationem, adeoque eatenus illa est *ens rationis*.

§. 147. Inde, ecce, palam est, quo sensu sine vlla formidine oppositi *existere* & *non existere* dici queant *orbis litterarii entia*; quo, non lusu, sed veritatis stabili argumento, adferri possit, *facta* & *chimaerica* adeo *litteratorum rationis entia* non *existere*, etiam vel *exstantissima* saepe; quo iure, quae iniuria *litteratorum* vel *realissimi* nunc habeantur pro *idealium mundinatoribus*, nunc contra *inanes idealistae* & *Cervitauri* adeo censeantur esse veri nominis *realistae*, ab omni attamen *reali* cognitione alienissimi; qua seria certitudine hi istius exserto digito possint monstrari, & de singulis

dicier: HIC EST:

quo denique animo hodiernum CICERONIANUM illud *pro Corn. Balb. C. 36.* repetere liceat: *Existat ergo ille vir parumper cogitatione vestra, quoniam re non potest.*

§. 148. Sed repetamus productum praesentium meditationum filum (§. 141-147.), in rem praesentem propius ducendum.

§. 149. Numquam nusquamque existunt *rationis entia* ab *idealibus* diuersa. Praeter *idealiter* vero, quae existunt (§. 143-145.), dicto nempe sensu (§. 146.), alia porro *existunt* innumera realia.

§. 150. Ea scilicet *primo*, quibus *inexistunt* dicti *modivales* (§. 140-146.), *repraesentantia* puto, quibus inest *vis repraesentatrix* (§. 144.). Deinde ea, quibus *vis repraesentatrix* tribui nequit.

§. 151. *Existunt*, inquam, existant rectius dixerim (§. 44.), *realia corporea* & *incorporea*.

§. 152. In corporeorum compositorum fluxu continuo nunc *existere* observamus, quae antea non exstiterunt.

§. 153. Hae existentiarum vicissitudines loci mutationibus accidunt.

§. 154. Sed &, praeter *realia composita*, quaevis alia *realia finita* loci mutationibus sunt obnoxia.

§. 155.

§. 155. *Motus* est mutatio loci.

§. 156. Sunt quidem, qui altius euehant hunc *conceptum*, motum dicentes qualemcumque modum actumue, quo quid suam obtinet existentiam.

§. 157. Verum tanta huius *termini* amplitudo neque rei, neque vsui loquendi, sat bene respondet.

§. 158. Ergo dictus (§. 155.) praeferendus est significatus.

§. 159. Motu itaque accidunt existentiarum in compositis vicissitudines. Accidunt enim locorum mutationibus (§. 153.), & hae dicuntur motus (§. 155.).

§. 160. Sed loci mutatio euenire potest etiam sine existentiae mutatione, quoad simplicia nempe (§. 154.).

§. 161. *Hæc* itaque pariter *motus obiecta* sunt. *Dem.* (§. 154, 155.).

§. 162. Licet in se motu mutari nequeant.

§. 163. *Motus* supponit *vim motricem*.

§. 164. *Vis motrix* igitur est vis, motus rationem continens, & quidem motus substantiarum, tam *compositarum*, quam *simplicium*.

§. 165. *Substantiae* terminus *latiori*, idque, ni fallor, *utilius*, heic accipitur significato.

§. 166. Exsistunt, quae mouentur.

§. 167. *Exsistit* itaque *vis motrix* (§. 164, 166.).

§. 168. *Siue* illa *seiuunctim* s. *per se* exsistat, siue illa sit ipsa *vis perceptiua* s. fundetur in *vi perceptiua*, vti laudata (§. 50.) habent *philosophiae fundamenta*. §. 780.

§. 169. *Vis motrix* iccirco *in realium occurrit tribu*. Exsistit enim (§. 167.). Quidquid autem exsistit, id reale est.

§. 170. Praetereo, quae de *viribus* dici possunt alia, a scopo nostro longius recedentia, v. c. varietates illas, satis

tis ceteroqui momentosas, quibus discernitur vis *primitiva* & *deriuatiua*, vis *priuatiua simpliciter*, & *secundum quid talis*, vis *uiua*, & sic dicta vis *inertiae*, vis *absoluta* & *relatiua*.

§. 171. De qua postrema paradoxa illa quidem, sed amplissimi in adplicatione *usus lex* valet: *Aucta resistentia, auge-
tur vis.*

§. 172. Ad rem enim praesentem sufficit (§. 15.) eui-
ctam hactenus dedisse *virium existentiam* (§. 140, 144, 167.).
In hac enim satis abundeque fundatur *existentia*, saltem *ve-
ritas* s. *possibilitas existentiae disciplinae dynamicae*.

§. 173. Simul ex ante dictis non tantum intelligitur di-
sciplinae huius *nominalis* determinatio (§. 18, 19.), verum
plenius quoque perspicitur, quae sit illius *notio* exactius *defi-
nitiua*, vt nunc non amplius difficilius sit intelligere, quam
dicere, quid *dynamices* nomine veniat.

§. 174. *Dynamice* nempe ea est eruditionis pars, quae
circa vires occupatur.

§. 175. Vires itaque *adaequatum dynamices obiectum* con-
stituunt.

§. 176. Sed *vires* competunt vel *spiritualibus* substantiis,
vel *corporeis*.

§. 177. Siue his qua talibus, siue non *qua talibus* compe-
tant, adeoque non innatae, sed aduenticiae sint, iuxta Phi-
losophorum quorundam hypothesin, excitato (§. 50.) lo-
co pulchrius expositam.

§. 178. Inde (§. 176.) *dynamice* alia est a) *pneumatologi-
ca*, alia b) *somatologica*.

§. 179. *Illa* circa spiritum, *haec* circa corporum vires
versatur.

§. 180. Huius varietatis fundamentum ab illo, secun-
dum quod *vires* diuiduntur in *repraesentatrices* & *motrices*,
differre, facile intelligitur.

§. 181.

§. 181. Deinde *vires*, vel quoad *qualitatem*, vel quoad *quantitatem*, considerari possunt.

§. 182. Hoc considerationis earum discrimine nititur *adaequata diuisio*, vel ab hac etiam petenda *partitio dynamices* in a) *philosophicam*, & b) *mathematicam*.

§. 183. Sponte patet, *philosophicam cognitionem strictius* heic dici, quatenus nempe opponitur *mathematicae*.

§. 184. *Dynamice* igitur *philosophica* est ea, quae circa virium qualitates:

§. 185. *Mathematica* autem, quae circa virium quantitates determinandas occupata est.

§. 186. *Dynamice* itaque neutiquam solis *matheos* cancellis coërcetur.

§. 187. Illam igitur pro disciplina tantum *mathematica* perperam habuerunt, quibus de ista aliquid suboluit.

§. 188. Nec satis eam a *mechanice* distinxisse videntur, qui in *hac* de *illa* heic ibi aliquid memoriae proderunt. *Huic illa* sua tantum suppeditat *principia*, vt proinde a se inuicem differant, vt *principium* & *principiatum*.

§. 189. Ecquis vero mortalium *virium qualitates* intellexerit, quis earundem *quantitates* mensurauerit? Is, respondeo, qui ad illarum *effectus* oculatiorem sese gesserit. *Effectus* enim & *qualitate* & *quantitate* differunt, & pro utroque hoc discrimine a nobis plerumque indagari possunt. A phaenomenorum autem conditione ad eorundem causas certissimam ducere licet consequentiam.

§. 190. Videsis adferti huius fundamentum in adlegatis (§. 50.) *philosophiae speculatiuae fundamentis*. §. 490. Neque tamen circa datam (§. 182.) *diuisionem* infitias iuerim, & heic haberi *qualitates quantitatum*, & *quantitates qualitatum*. Vid. modo laudata *fundamenta*. §. 437.

§. 191. Vires porro (§. 181.) vel *in abstracto* , vel *in concreto* considerari possunt.

§. 192. Hinc *dynamicæ* abit in a) *puram* , & b) *adplicatam*.

§. 193. *Definitivam* utriusque *notionem* sponte suggerit substratum *varietatis* huius *fundamentum* (§. 191.).

§. 194. Praeterea (§. 191.) tam *pura* , quam *adplicata dynamicæ* , multiplices alias inferiores admittit *diuisiones* & *partitiones* , in pleniori illius *systemate* euoluendas. Ad propiora igitur propero , ad ipsam , inquam , *medicinam dynamicam* (§. 12.) , ad ipsius , ut pressius loquar , *praecognoscenda* (§. 17.). Sequitur itaque

P. II.

PRAEFINITA MEDICINAE DYNAMICAE PRAECOGNOSCENDA.

§. 195. Praeter dictas tres (§. 178 , 182 , 192.) , huc spectantes , inque ipsa *medicina dinamica* suis quasuis locis adplicandas , una adhuc superest *diuisio* , heic proxime substernenda.

§. 196. *Vires* videlicet , & *virium quantitates* pariter , ac *qualitates directionesque* subiectis suis vel conueniunt , vel non conueniunt. Vid. *fragmenta dynamices* HIPPOCRATICO-GALENICAE , proxime edita.

§. 197. Virium igitur determinationes statusue sunt vel a) *naturales* , vel β) *praeternaturales*.

§. 198. *Naturales* sunt , quae subiectis suis conueniunt.

§. 199. *Praeternaturales* autem , quae iis repugnant.

§. 200. Ex hac (§. 196 - 199.) *specifica* virium *varietate* praecipua dependet *diuisionis* l. *partitionis* *dynamices* varietas , quam iuxta illa vel *diuisim* , vel *partitim* discedit in a) *physiologicam* , & b) *medicam*.

§. 201.

§. 201. *Ill*a circa vires , viriumque determinationes , qua naturales :

§. 202. *Haec* circa easdem , qua praeternaturales , ver-
fatur.

§. 203. Ita vero tandem ad *medicinam dynamicam* pres-
fius determinandam deuenimus.

§. 204. Quae cum modo (§. 202.) explicata *dynamic*e
medica non plane coincidit , fed adhuc differt. Cognitio
enim , circa vires earumque ftatus praeternaturales occupa-
ta , vel vt pars *dynamices* , vel vt pars *medicinae* , fpectari potest.

§. 205. Quare haec cognitio pro diverfo hoc refpectu
omnino diftincta eft , adeoque etiam diftinguenda , & diftin-
ctis quoque exprimenda nominibus.

§. 206. Haec quoque fubfuit ratio , cur neque in *titulo*
obiter nominauerim *dynamicen medicam* , neque in *thematis ela-*
boratione promifcuae de illa & *medicina dinamica* loqui voluerim.

§. 207. *Dynamic*e *medica* fuo quidem nomine *dynamices*
pars eft , fed hanc , vti alias ex aliis difciplinis fpecialiores
particulas , fuo fibi iure vindicat *medicina* : id quod parili mo-
do vfu venire folet in reliquis difciplinis mixtis adplicatifque.

§. 208. Vnde hanc *medicinae* partem , vt non a *dynami-*
ce tantum , verum ab reliqua etiam *medicina* rite diftinguere-
tur (§. 203 - 205.) , *medicinam* dixi *dynamicam* (§. 15.). Hoc
enim pacto ex ipfa iam adparet denominatione , eam , indi-
cato (§. 204.) refpectu , proxime ad noftrum fpectare fo-
rum , non quidem vt *miniftram* tantum f. *exoticam* , fed vt
domesticam medicinae difciplinam , vt *partem* , inquam , illius
exftantiffimam.

§. 209. Tametsi reliqua *dynamice* pro *medicinae* parte non sit habenda, sed huius tantum *ministra* sit *disciplina*, adeo tamen adfinis, ut illius famulatio carere non possimus.

§. 210. Vnde eius culturam ab aliis, ab iis, inquam, qui ab hac *naturae*, adeoque *virium* indagine proprie, a potiori saltem & κατ' ἐξοχὴν vulgo *Physici* adpellitantur, aeque, ac a *Dynametris* expectamus, tantoque expetimus cupidius, ne falcem in alienam messem immittere cogamur. Nec e nostro foro grauate habebit quisquam, quod id in *pluratio numero*, a quo elatiori dicendi genere alienum me esse sentio, non meo tantum, sed & suo ceterorumque exposcam nomine.

§. 211. *Medicina*, quam intendo, *dynamica* (§. 15.), a *dynamice medica* (§. 202.) dicto (§. 203-208.) modo distincta, & a reliqua *dynamice* sua petens principia (§. 209.), praeter *dynamices*, haecenus explicatae ideam, *medicinae* quoque genuinam *notionem* non modo *supponit*, sed adeo *involuit*, vi quidem *generis* sui *proximi* (§. 15.).

§. 212. *Medicina* est eruditio adplicata zoologica, quae versatur circa morbos remouendos, qua tales.

§. 213. *Medicina* igitur *dynamica* est medicina, circa morbos *virium* adfectiones occupata.

§. 214. Inde *axiomata*, & *propositiones demonstratiuae*, vel sua sponte clarae, vel solis *citationibus* expediendae, vel alibi apertius demonstrandae.

§. 215. *Medicina dynamica* est *medicina* (§. 313.).

§. 216. *Occupata* est circa vires morbose adfectas (§. 313.).

§. 217. *Quae igitur adaequatum illius obiectum constituunt.*

§. 218. *Ergo eadem est eruditionis (§. 212, 215.),*

§. 219. *adeoque cognitionis distinctae*

§. 220. *& ordinatae species.*

§. 221. *Species quidem eruditionis adplicatae,*

§. 222. *nominatim zoologicae (§. 212, 215.). cet.*

§. 223. *Vires tam qualitate, quam quantitate, peccare possunt.*

§. 224. *Inde medicinae dynamicae & diuisio & partitio in a) philosophicam, & b) mathematicam, ad analogiam totius (§. 182.).*

§. 225. *Illa morbosas virium qualitates obiectas habet.*

§. 226. *Haec earumdem morbosas quantitates curat.*

§. 227. *Vires viuarum substantiarum, tam spiritualium, quam corporearum, morbose affici posse, certum est.*

§. 228. *Inde medicina dynamica sui diuisionem & partitionem admittit in a) pneumatologicam, & b) somatologicam.*

§. 229. *Prior itaque est medicina dynamica, circa morbosas spiritualium substantiarum vires occupata.*

§. 230. *Finitae substantiae vivae heic non nominantur apertius, quia hoc fuisset superfluum, contraque canonem: nulla notio definitiva sit abundans. Medicinae enim notio substantias finitas, tamquam sola morborum subiecta, iam inuoluit, adeoque excludit INFINITAM.*

§. 231. *Medicinae pneumatologicae praecipua species s. pars est iatrodynamice psychologica,*

§. 232. *ad quam refertur anthropologica, quae versatur circa morbos animae humanae.*

§. 233. Horum *conspectum systematicum* nuper in peculiari dissertatione, publice heic loci ventilata, exhibere tentavi.

§. 234. *Medicinae vero psychologicae*, vti totius *iatrodynamicæ*, veritas ac necessitas adeo evidens est, ut, qui illam non vident, *gutta serena* laborent, aut, qui illam vident quidem, sed inique vident, vel *strabismo* adfecti sint, vel *catarractae* suae non dum maturae depressionem extractionemue exspectare debeant. Neque enim, quam hanc, aliam melam in promptu superesse video ad solem cæcutientibus.

§. 235. Altera *medicinae dynamicae* species s. pars est *somatologica* (§. 228.).

§. 236. *Haec* viuarum substantiarum corporearum vires morbose adfectas curat.

§. 237. Quemadmodum autem *morbi* in qualiacumque cadunt viua: ita a *morborum subiectis* ne ipsa quidem excipi possunt *vegetabilia*. Conf. THEODORI ZWINGERI disp. *de valetudine plantarum secunda & aduersa*, quae in ipsius *Fasc. dissert. medic. selectior.* septimum occupat locum.

§. 238. In corporeo mundo duplicis generis viua occurrunt, *inanimata & animata*.

§. 239. Illa *vegetabilia* dicuntur, &, quatenus perceptionum functionibus non obnoxia sunt, proprie loquendo *organica* dici nequeunt.

§. 240. *Haec* (§. 238, 239.) vero, quatenus, quibus inferuiunt, animabus vnita sunt, semper *organica* sunt, dici que merentur.

§. 241. Vtraque suis instructa sunt viribus, quae quantitate & qualitate peccare possunt.

§. 242.

§. 242. Ab hac (§. 238.) itaque (§. 251.) duplicitate duplex emergit *medicina dynamica*, scilicet a) *phytologica*, & b) *organologica*, strictius dicta.

§. 243. *Definitivas notiones modo positum (§. 238-241.) varietatis huius fundamentum sponte exhibet.*

§. 244. Non minus evidens est *Zatrodynamices organologicae varietas*, huiusque *varietatis analysis*, secundum quam illa est a) *brutologica*, a foro nostro non plane excludenda, & b) *anthropologica*, ad nos proxime spectans.

§. 245. Quare, missa hac *analysis*, iactis haecenus *medicinae dynamicae*, arctius heic praefiniendae, fundamentis sequentia tantum adhuc adiicio.

§. 246. *Triplici omnis medicina absoluitur summa. Vnam complectitur pathologia, alteram materia medica, tertiam therapia, vnde resultat exactissima totius summa summarum.*

§. 247. Dehinc itaque pariter descendit *medicinae dynamicae summa*, quam absoluunt a) *pathologica*, b) *materiologica*, c) *therapeutica*.

§. 248. *Medicina igitur dynamica pathologica circa virium morbosarum cognitionem:*

§. 249. *Materiologica circa illarum curandarum media:*

§. 250. *Therapeutica circa horum ad illas remouendas adplicationem, s. circa illarum per haec remotionem occupata est.*

§. 251. Si quis vero aliis alius forte placuerit rerum nostrarum *ordo*, me quidem non habebunt refragantem, mo-

do is fit *systematicus*, & ita quidem *systematicus*, atque ad *artis regulas* compositus, vt *docendi* ac *discendi rationibus* aliis fit fauentior. Eum etenim in finem omnino datur optio, reu-
tquam, vti vulgus sibi persuadet, negligentius instituenda. Neutiquam quoduis, vt vt in se bonum, *disciplinae* alicuius *systema* pro lubitu mox adoptare licet. Etiam in se bono *melius*, & ad vsus nostros, maxime *academicos*, adcom-
modatius semper est praeferendum. Ecce arctos triti illius limites, quando nimis obiter adserunt, *METHODUM ESSE ARBITRARIAM*! Quibus vero *dictetium* hocce ignorantiae asylum est, eos spernimus rectius, quam refutamus, hodie.

§. 252. De *methodo*, vt in omni, ita in *dynamica* quoque *medicina* obseruanda, nil habeo, quod addam. Adquiesco in strenui artis cogitandi *PRAECEPTORIS* loco (§. 50.) citato iam iam iactis *methodi fundamentis*, vbi §. 117, 118. quod quin huc transcribam, temperare mihi non possum, ita iussit: *Non omnes eandem habent facilitatem in eruendis ac diiudicandis veritatibus. Exercitio & attentione opus est ad inuestigandas intellectus humani operationes, quibus idem in indaganda veritate feliciter progredi possit. Si enim cogitationes vel interrumpantur, vel per nimias ambages tendant, vel alio modo confusione implicentur: nihil umquam, nisi casu fortuito, inueniuntur. Attendendum igitur est ad ordinem cogitationum & veritatum, obseruanda sunt artificia logica, quae utilitatem suam ac fecunditatem in rerum inuentionibus & demonstrationibus numquam non comprobarunt, iisque vtendum est in directione cogitationum.* Reliqua ex indicato, velim, hauriantur fonte.

§. 253. Ita vero (§. 252.) nec aliter impetrandum *usum suum formalem* (§. 9.) sibi adsciscit vniuersa, adeoque & nominatim *dynamica medicina*.

§. 254. De *usu materiali* (§. 10.) sequentia addi, necessarium esse praeuideo.

§. 255. Is fane *locupletissimus* est aequae, ac *praestantissimus*.

§. 256. Eum abunde spondet *dynamica* haec *disciplina*, tam *in se spectata*, quam ad alia *relata*, ut soli obloqueretur, qui alterutrum ipsi denegare auderet.

§. 257. *Vtrumque* res ipsa loquitur. *Vires* viuentium finitorum *morbosae* & *morbificae* maximam medicinae nostrae partem constituunt. Male adfectae *in se* iam *morbi* sunt, curae nostrae commissi.

§. 258. Eaedem *morborum* sunt *causae*, & *primariae*, & *secundariae*, & *communissimae*. Sed morbos curare est causas tollere.

§. 259. Illas, tam qualitate, quam quantitate, vel excedente, vel deficiente peccantes, nunc ut morbos, nunc ut morborum causas, oculatiori scrutinio medico rimari, internoscere, metiri, dimensas suo sub excessu deprimere, deficientes excitare, aberrantes dirigere, ad haec omnia perficienda remedia conuenientia seligere, selectaque debite adplicare, adeoque hunc ipsum in finem medicaminum vires, viriumque ipsarum qualitates & quantitates, & vtrasque quidem ad curandi aegroti vires relatas, vti decet, aestimare & commensurare, haec omnia fane, sin minus totam prope, at maximam certe complent partem theorices, tamquam artis nostrae, cognoscendis cognitisque imminetibus praeuertendis, aequae, ac iamiam praesentibus auertendis tot tam variis vitae sanitatisque periculis circumuallatae.

§. 260. En amplissimam, perque omnem, quaqua patet, medicinam sese diffundentem de *rebus dynamicis* doctrinam, qua ista non ornatur tantum, sed vtilissima egregie collocupletatur accessione!

§. 261.

§. 261. En *medicinae dynamicae*, quam heic praefinire (§. 4. a-d.), breuiterque exponere adnissus sum, *usum materiale* locupletissimum, quique, quod *formali* exacti praesentis instituti *usui* detractum esse videri posset (§. 8.), compensat largissime!

§. 262. Mirum proinde (§. 255-261.) est, in hunc usque diem prope incultam iacere hanc *medicinae* partem. Eam omnibus sese ubique obtulisse rerum medicarum scruatoribus, eorum quidem de istis monumenta docent, quae vero nimis disiecta sunt, & minime sufficientia.

§. 263. Quemadmodum vero vel ipse etiam utilioris alicuius cognitionis neglectus in suo quemuis foro, ad quod illa spectat, tanto maiori stimulo ad procurandam illius culturam sollicitat: ita eandem mihi necessitatem imponere visus est ipse *medicinae dynamicae* defectus.

§. 264. Quod causae momentum (§. 262, 263.) prioribus (§. 255-261.) addant, velim, qui sufficientem praesentis tentaminis (§. 7.) postulant rationem.

§. 265. Supereft, vt iniquioribus, quos forte offendunt haecenus prolata, *medicinae dynamicae* obrectatoribus, vel in ea saltem hospitibus, leuioris quidem armaturae obstacula quaedam prius expugnem, quam calamum hac vice seponam. Hi facile opposuerint: 1) *Aliena* esse videntur, quae supra tradita sunt. 2) Sunt saltem *remotiora*, iustoque longius petita. 3) Quid enim ad Medicum illa *metaphysica*? 4) Quid ad illum, quae de *existentibus*, de *realibus*, antea dicta sunt? 6) Cur eadem adeo fusa, & tamen 7) adeo abrupte? 8) Cur tanto *paragrophorum* cumulo? 9) Cur tot harum *citationibus*? 10) Cur sine *paragrophorum* excerptis *characteribus*? &c. &c.

§. 266. Quilibet ita ambigens ad singula sic habeto :
 1) *Aliena* quae videntur, nec sunt, parum habent opprobrii:
 Deinde ab *alienis* discernendae sunt *exoticae*, *domesticis* non
 numquam adiiciendae in aliqua doctrina *propositiones*. 2) *Re-*
motiora etiam, quin vel *remotissima* alias, sed in rem praesen-
 tem ducta adplicataque, eo ipso non amplius *remota* sunt,
 nec iusto *remotiora*. 3) De *metaphysicis*, in medicinae par-
 tes vtiliter saepius trahendis, idem esto iudicium. 4) Ec-
 quis saniorum Medicorum *exsistentium* & 5) *realium* scrutini-
 um prohiberi sibi, vel eripi passus fuerit? Medicina profecto
 vel nescit *rationis entia*, vel saltem circa *actualia*, *exsistentia*
 atque *realia* quam maxime occupata est. 6) Quae *prolixè* di-
 ducta videntur, forte *fusus* potius deducenda fuissent, quod
 ipsum 7mum innuit dubium. Praeterea, resectis omnibus
 ambagibus, rem nude & sicce dicere quaesita suadebat *bre-*
uitas (§. 8.). 8) Pluribus in vnum coniectis, *paragrophorum*
 numerus imminui potuisset, verum id dissuadebant rerum
distinctiones. 9) Iisdem hisce fauent eorum *citationes*. 10) Ec-
 cur igitur eundem in finem sui singulis non sunt adiuncti
characteres? Quia, regero, adeo *rigorosus* esse nolui. No-
 lui autem, quia id nolunt, Qui aegre ferunt *rigorosa* scri-
 bendi *methodum*, & quia, qui de horum genere non sunt, de-
 fectum istum facile possunt ipsimet supplere, vtpote exqui-
 sitioris *artis cogitandi* melius gnari.

§. 257. Minus ergo *rigorose* heic dicta *rigorosa* finiat haec
clausula: QUISQUIS, quibus iuuari deberet, *medicinae dynami-*
cae salutaribus consiliis aegrescit; QUISQUIS ad illius lucem

caecutit; Quisquis, quae illa suppeditat sanitatis praesidia vel non videt, vel non recte videt, vel videre & recte videre recusat, vel visa etiam spernit contemnitque eludit: ei eo ipso nulla adferri potest *medicina*, utpote ea ipsa, in quibus sanitatis spes posita est, repudianti, adeoque eatenus vel immedicabili plane, vel curatu saltem difficillimo laborat malo, is, inquam, vel *strabismo*, vel *gutta serena*, vel *catarracta* laborat, vel *myops* est, vel *monoculus*, vel *malus*, vel *peior* aliis, vel denique omnium *peffimus*. Quisquis igitur rectius iudicare nescit, is hanc sibi capiat æquam iniquioris controversiae clausulam. Tantum per *parentesin*! Caudatur! Sic enim aequiori firmiorique vinculo in orbem ductis compaginatisque hisce pagellis, arctius confluunt coinciduntque earum *initium* (pag. 2.) &

F I N I S.



NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DN. RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

△ εικνύειν δυνάμιν *eleganter dicunt Graeci, quod Latini, suas copias ostentare aduersariis. In academicis castris quae ostentari possint δυνάμεις, haud sint, oportet, ἄλογοι, sed μετὰ λόγον, ut ARISTOTELIS verba mea faciam. Hoc, non alio nomine, EIDEM Philosopho scientiae artesque audiebant facultates, δυνάμεις. Quemadmodum itaque in ceteris, quas hodie vocant, FACULTATIBUS, ita & in medica, suam quemque facultatem (δύναμιν) ostendere, per & aequum, & utile, & gloriosum est. Hoc enim pacto constat publice, quid, qui publicis praeesse volunt necessitatibus, valeant, quid ferre recusent.*

Verum enimvero, ut in aliis, ita in medicis pariter castris academicis, suas monstrare copias, parum fortassis est. Commonstrandae illae sunt ad commoda rei publicae, in id est, debellandis sanitatis vitaeque civium aduersariis, morbis.

*In TUA, quam mihi obtulisti, NOBILISSIME DN. CANDIDATE, proprio Marte concepta disputatione ostendisti, qua ratione in aciem educendae sint copiae nostrae medicae aduersus incendiarios sanitatis nostrae aduersarios, non intestinos illos quidem, sed exoticos, hoc est, aduersus morbos, qui in pathologia nostra adpellantur inflammatorii, speciatim idiopathici. Vidi & cognoui illas ita comparatas, ut easdem speciminis TUI inaugu-
ralis*

ralis loco potuisses ostentare. Verum TUA modestia factum est, ut meas in aciem educi malueris praesentes primi agminis iatrodynamici copias, quum TIBI placuerint, quae partim in nuperrima de viribus viriumque resistentiis, proportionate semper & crescentibus & decrescentibus, oratiuncula, partim in proxima, qua fragmenta medicinae dynamicae HIPPOCRATICO - GALLENICAE memoriae prodidi, dissertatiuncula praemonstrare adlaboravi.

Age dum, NOBILISSIME ET DOCTISSIME DN. CANDIDATE, educ, quas huc conduxì, copias, defende illas, TEque cum illis, & TEcum me denique! Bene tamen mecum memor esto, nostram in praxi medica curam eam potissimam esse debere, ut vires & virium resistentias ad lectos miserorum aegrorum nostrorum modere-mur dirigamusque, ea, qua fieri potest, dexteritate! At, quam levis, quam imbellis, quam nulla heic nostra est armatura, nisi quidem deprompta fuerit ex ILLIUS armamentario, cui summa est potestas, & αἰδῖος δύναμις. Rom. I, 20. Hac destituta, vel nulla est, vel, si qua unquam fuit, corruiit uniuersa nostra facultas medica.

Illa itaque adiutus ut ad aegrotorum lectos a sub-selliis nostris feliciter transeas, ex animo precor. Precantur idem mecum boni omnes, interque illos praecipue SUMME REUERENDUS PARENS TUUS, quem TEcum, & cum omnibus VESTRIS Caritatibus, saluum esse iubeo atque sospitem.

Dab. e Museo

d. 13. Nouemb. 1759.

